

DEDICATORIA.

fixum anno ætatis vicesimo quarto, sed cum huic anno dies parasceues ad octauum Cal. April, non respondet etiam falluntur.

Epiphanius, Cyrillus Christum sese *λύτρον* DEO patri pro mundi redemptione obtulisse anno suæ ætatis vicesimo, decimo quarto calend. April. & tunc postridie parasceues Christus cruci affixus fuisset. Beda & Theophilus Alexandrinus affirmant anno tricesimo & decimo cal. April. Christum in cruce expirasse & secundum hos Christus mortuus esset in ara crucis die Solis.

Aberrat & Gauricus in sua *vrana*, cuius consilium si sequaris Christus Mercurij die crucifixus erit. At Astronomicus calculus veram Christi ætatem nobis pate facit. Nam ex Astronomia Solis & Lunæ metæ, assignatæ ad leges præscriptum docebunt, quintam decimam Lunam die Veneris tertio Nonas April, cum pridie celebrandum erat phase Domini, expletam anno ætatis vicesimo tertio siue Anno Tiberij decimo octauo, olympiadis ducentesimæ secundæ anno quarto, quo tempore plenilunium iuxta motuum doctrinam conuenit, cum die tertio Aprilis, qui sexta feria fuit, hora prima post meridiem Hierosolymis. Hic videre est, quanta ex Astronomiæ inscitia de hoc die & Christi morientis ætate inter celeberrimos & primos quosq; Ecclesiæ doctores controuersia extiterit.

Nec tamen tantum in historijs Ecclesiæ, verum etiam in communi vita, rebusq; tam publicis quam pri-

*Mors Christi anno
anno de ...*